

R. P. Carolus Weibel (1892-1950) (1)

(Prov. Argentor.)



P. Weibel in parva illa autobiographia, quam « ductus caritate erga Chronistam » ultimae infirmitatis tempore exaravit, se appellat « infantem privilegiatum BMV ». Ita revera est, et haec res est quasi huius vitae nota characteristicā, ac terrenae defuncti confratri peregrinationi tribuit peculiarem pulchritudinem et attractionem.

Pientissima Caroli genitrix Bernardina Haass, quae 6-IV-1892 hunc unicum suum filium pepérit in vetusto Alsatiae oppido Bergheim, multorum

(1) Cf. longiorem vitam defuncti a R. P. CARLO DÜNGLER scriptam et primum in suis foliis periodicis *Le Perpétuel Secours* evulgatam, postea separato libello. Prostat in Haguenau 50 francis gall.

Redemptoristarum patria, scriptum reliquit testimonium se filium iam ante baptismum augustae caelorum Regiae consecrasse; quam consecrationem ut sollemni ritu confirmaret, prolem post receptum regenerationis sacramentum (16-V) in are BMV collocavit.

Carolus ipse, cum in sua pueritia in vita cuiusdam sancti missionalis leisset, eum aetate undecim annorum, interposita voti obligatione, cotidie quinas decades Rosarii recitasse, quo melius sese ad primam communionem praepararet, secundo anno denas, tertio quinas denas, audacter idem votum emisit, addita insuper clausula: preces uno die omissas altero die duplicandas fore. Sic accidit, ut interdum uno die vicies (!) tertiam Rosarii partem dicere obligaretur. Nihilominus promissioni Deo et Deiparae factae stetit, et tertium privati sui voti annum iam in iuvenatu Uvrier transegit, quo 9-IX-1905 una cum hodiernis RR. Patribus Ios. Jung et Rob. Scherrer ingressus est. Cum iisdem religionis vota nuncupavit in Goedenraad Hollandiae 8-IX-1912, Magistro P. Augusto Sordet (1) et una cum sodalibus R. Scherrer et Petro Husser Augustae Trevirorum presbyteratus sacramentum recepit versus finem primi magnis belli, 26-V-1918. Per se tunc in exercitu Germanico militare debuerat, verum a. 1915 militari servitio sese liberavit praetextu herniae et a. 1917 receptione subdiaconatus.

P. Weibel quodcumque opus sibi ab obedientia iniunctum cum entusiasmo et sancta passione perficiebat. Sic per decennium (1919-1929) fuit optimus Lector iuvenatus, sive Friburgi Helvetiorum sive ad Tres Spicas, itemque optimus Socius Directoris, per insequens quadriennium zelantissimus missionarius simulque negotiator diligentissimus Missionis nostrae Bolivianae; ineunte a. 1933 renuntiatus est Rector et Director iuvenatus Bertigny. Sed post Capitulum a. 1936 hoc duplex munus cedere debuit ex-Provinciali A.R.P. Alberto Herold, et a novo Provinciali Pl. R. P. Florentio Ruffenach nominatus est Provinciae Procurator. Qua talis plerumque residebat in Bertigny, id quod exorto novo magno bello evasit omnino necessarium.

A. 1942 petit et consequitur redditum ad vitam missionalem, sed inde ex 10-V-1944 infirma valetudo ei omnem laborem apostolicum interdicit. In ultimo Catalogo, exhibente statum 25-II-1948, p. 742, P. Weibel refertur in Bertigny « Vice-Procurator Provinciae et Praefectus Fratrum ». Verumtamen Novembri 1949 valetudinis condicio adeo declinarat, ut reliquum vitae tempus ei transgendum esset in nosocomio Friburgensi. Ibi eius virtutis ac pietatis « cereus », ut ita dicamus, antequam extingueretur, mirum splendorem emisit. Etiam iuvenis medicus acatholicus palam confitebatur se valde admirari in hoc sacerdotem aegroto animum adeo tranquillum, immo festivum, et perfectam cum divino beneplacito unionem. P. Weibel, ut erat Deiparae devotissimus, sibi afferri voluit grandem Imaginem Matris de P. S., cuius symbolisum et « drama » me-

(1) Eius necrologium vide *Analecta* 1951, p. 105-108.

dicis, Sororibus, nosocomis, aliis accurate explicabat. Hanc suam explanacionem etiam scriptis mandavit, et post eius obitum ea in dicto periodico Provinciae (Iunio-Septembri 1950) et separatim in vulgus exiit. Identidem dicebat se multa magna que beneficia Perpetui Succursus Matri debere, praesertim ex quo in istum morbum incidisset. Insuper profitebatur se mortem accipere non ut diram necessitatem, sed unice « ex amore Iesu et Mariae ».

Iam ante Natale Domini P. Weibel suo Patri Scherrer remiserat suum mar-supium; se amplius nolle ullam pecuniam penes se habere. « Desiderium habens esse cum Christo » (cf. Phil. 1,23) et cum dulcissima Matre Iesu, mane 4-I-1950, ergo ineunte Anno Sancto, in osculo Domini quievit, praesentibus P. Rectore Alfonso Werny et P. Scherrer.

Sicut biduo ante Episcopus Friburgensis Exc.mus Charrière aegrotantem inviserat, ita defuncti funus honestarunt primores civitatis et permulti, qui in vita eum amaverant ac venerati erant. Sepultus est in ecclesia paroeciali Villars-sur-Glâne, ubi etiam iacent R.mus P. Matthias Raus et Exc.mus Episcopus Augustus Sieffert aliique sodales communitatis Friburgensis. Bene scripsit postea A.R.P. Werny de defleto P. Weibel: « Sa sainte et édifiante mort, nous a fait toucher du doigt le bonheur de mourir dans la Congrégation ». Talis mors in memoriam revocant pulcherrima verba prophetae Balaam: *Moriatur anima mea morte iustorum, et fiant novissima mea horum similia* (Num. 23, 10)!